

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 22. (*Neovidensis* 1806. Nro. 15.)

*Secretum litterarum commercium vivos inter,
ac mortuos.*

Cujusdam cælibis epistola data ad Hy-
menæum.

Elysium - Meum. - Die Vener. 7. Martii 1806 (Neov. 18. Febr. 1806.)

Nuperrime legi in Europæo novorum scri-
ptore Aufseher dicto, petitionem uxoris. Cum
autem ego ex vulgato adagio didicerim, ma-
trimonia in cælis concludi, cum eodem postu-
lato me ad te converto Deus nuptiarum, Hy-
menæe, qui quotidie tam multa suspiria cæ-
libum cogere audire in olympo, cælo vete-
rum. Ita vero scribit:

Nostra ætate omnia perficiuntur, ipsa
matrimonia ad summum perfectionis gradum
perduxit rerum novarum commentator, Reichs-
anzeiger, qui ea facilia facit, atque certa.
Nimirum occupatur sella brachiis instructa,
imponitur naso vitrum oculare, describuntur
dotes mulieris ex fabella romanensi Domini
K. . vel Z. . ; & quod jucundissimum in toto
hoc negotio est, nullus metus repulsæ, ob
quam, ut notum, æque multi jam perierunt,

atque in nupero magno prælio ad ... Longo jam tempore sollicitus eram, quid esset instituendum, ut modo facillimo, commodissimoque possem acquirere uxorem, quæ esset exemplar perfectionis; tandem reperi somnians viam, & hanc fidenter insisto. Vultus mei lineamenta depingere non est opus, fecerunt hoc Domini: Reichsanzeiger, & nulli partium studio addictus Hamburgensis nuntius. Quodsi quis desiderio teneatur videndæ meæ imaginis, adeat quemcunque scrutarium, certeprehendet mihi similem. Antequam tamen proponam requisita, (non dico requisitiones) quæ in futura mea uxore desidero, removenda est mihi quædam difficultas, quæ gravissime premit meam conscientiam, Res hæc utique antiquitatem spirat, nec est conveniens nostris temporibus iste sermo. Non fitne injuria sexui fœmineo, aut potestne cum dignitate virorum conciliari, ut uxor instar mercis quærat? ut quis se ipsum venalem offerat? ut de uxore, tanquam de re ad quæstum pertinente commercium instituatur? Si de hoc sublimi more argumenta, in utramque partem adferri solita expendam, observo, id ipsum jam a Majoribus nostris fuisse factitatum, qui, licet suam petitionem non curaverint inserendam ephemeridibus, nullæ enim id temporis extabant, uxores tamen suas cum ovibus, vel camelis permutarunt. Hæc ratio jam magno onere relevat meum animum; si præterea cogitatione percurram, hominem ad mutationem esse natum, &, nisi rece-

ptum sequatur motem, exuere suam naturam, una libræ lanx vibratur in altum, & ego me penitus recreatum sentio.

Postquam huic inquieto, seque in omnia miscenti genio silentium imposui, aggredior enumerare tam naturæ, quam artis dona, quibus meam uxorem ornatam cupio. Imprimis desidero, ut videat quidem, sed tantum uno oculo, ne possit in meum vicinum amatorios jacere aspectus, sum enim ad insaniam usque zelotypiæ deditus, neque opto coronari. Necessarium deinde requisitum est, ut surdastra sit, ne intelligat blandimenta sibi ab otioso S... insusurranda. Non novi efficacius remedium adversus corruptelam, quam sit defectus auditus; Uxor surda, vel quæ ægre audit, & videt, profecto non venit in periculum, ut a prætereuntibus in platea e manibus viri eripiatur, neque huic quidquam metuendum est, ut a talibus heroibus verbis in frustra secetur. Si præterea habuerit unum, vel quod melius, duos gibbos, erit mihi gratissimum, mirifice enim delector montosa regione. Expeto porro, ut pedibus capta sit, vel saltem claudicet, ne possit cubile meorum servorum ingredi, aut si hoc fecerit, ne ita cito profugiat, ut eam non valerem assequi. Vultus denique ita horribiliter formosus sit, ut nulla uterum gerens mulier ei appropingvet, quin vehementer angatur, ne ex aspectu ejus vitium inferat suo fetui. Excellenti tali formæ inest etiam hæc utilitas, ut meam uxorem nemo

adeat mendicando, namque tam amæne horridam speciem quilibet refugit.

Quas autem animi dotes requiro in mea uxore, in his consistunt; In cogitando sit tarda, hinc enim consequetur, ut aut nihil, aut parum loquatur. Nil moror, etiamsi in scribendo, & legendo non fuerit exercitata, nam missas eidem litteras amatorias leget meus famulus, & reliquas quoque idem scribet. In geographia versatam nolo propterea, quod abhorream ab expensis in peregrinatione faciendis, animadverti enim, nostras uxores eo avidius cupere vel cum suis maritis, vel amasiis peregrinari, quo diligentius versant Hübneri geographiam, suumque animum depravant. Quod vero ab uxore mea quam maxime deosco, est ea animi dispositio, ut de quolibet erogando numo diu, multumque deliberet, nulli mendicorum quidquam donet, sic enim alitur otium, & omnis generis vitia promoventur; nulla sive scholis, sive Ecclesiis faciat legata, utrisque enim jam abunde provisum est, & per id pecunia eximitur ex circulatione.

Cum denique propendeam in avaritiam, & ideo nullos velim in divortium facere sumtus, postulo ut mea uxor, si forte vel illa mihi, vel ego illi non placerem, (*quod Deus avertat!*) tantum adferat patrimonium, ut ex illo possint necessariæ ad dissolutionem matrimonii expensæ haberi. His dotibus, qualitatibus, requisitis, atque virtutibus instructa Virgo certa esse potest, me cum illa nupti-

as. facturum, spero enim me cum tali futurum felicissimum; Enimvero felicitatem ab incunabulis semper aucupabar.

Sed jam a ridiculo matrimonio gradum faciamus ad Politicam. Dabo acta 3. coalitionis, quæ Rex Angliæ cum suo Parlamento communicavit; Tractatus Angliam inter, & Russiam est maximæ considerationis, & sequentibus constat articulis;

1) Europa in commiseratione digno statu existente, qui celeri indiget auxilio Sua Majestas Rex Magnæ Britanniæ, & Sua Majestas Imperator Russiæ concluderunt conflandam esse universalem unionem, ad quam omnes Europææ gentes invitentur, ut sufficiens vis erigatur ad Gubernium gallicum vel permovendum, vel etiam cogendum, ut æqua pax conficiatur, & æquilibrium in Europa restituatur. Haec vis debet minimum 500 millia armatorum efficere, huc non computando copias subsidiarias, quas Anglia data est, vel jam dedit.

2) Finis hujus unionis est, ut Electoratus Hanoveranus, & Germania septemtrionalis liberetur ab hoste, ut agnoscatur independentia Hollandiæ, & Helvetiæ, ut Rex Sardiniae restituatur in Ducatum Pedemontanum cum majore extensione territorii in Italia, ut securitas præstetur Regno Neapolitano, ut gallicæ copiæ excedant ex tota Italia, ut denique talis inducatur ordo in Europa, qui in posterum præcaveat omnes usurpationes.

3) Anglia promittit Gentibus ad hoc fœdus accessuris tanta subsidia pecuniaria, quantas illæ copias eduxerint; præterea totam suam potentiam maritimam in auxilium unionis.

4) Hæc subsidia solventur certis temporibus, pro quibus summa determinabitur; Gentes, quæ illico in aciem prodiverint, pro quolibet exercitu ex 100 millibus armatorum composito, aquirent 1. millionem, ducenta millia libr. Sterl.

5) Sociæ Gentes possunt ad exercitum mittere suos Agentes, a quibus de numero militum certiores reddantur.

6. Gentibus hujus unionis non est integrum separatam facere pacem, sed debent exitum unionis præstolari, & in ea conjunctæ perseverare.

7) Praesens conventio ita obligat, sicut quisunque maxime solennis tractatus; quam Rex Angliæ, & Imperator Russiae intra spatium 6 hebdomadarum confirmabunt, vel si fieri poterit, etiam citius.

Petropoli die 30. Martii A. 1805 subscripsit — Grenville Levison Gover. Princeps, Adamus Czartorinsky. Nicolaus Nosiltzoff.

In diversis separatis articulis sequentia statuuntur: Cum in educendis sine mora 500 millibus bellatorum possent difficultates oboriri, eapropter primum tantum 400 millia disponentur ad motum; quem in finem dabit Austria 250 millia, Russia minimum 115

millia, præter viros jam in Albania, & Græ-
 cia collectos; residuum superaddet Neapolis,
 Sardinia, Hanovera, atque alii. Russicæ
 copiæ trahent commemorata subsidia usque
 ad reditum in suam patriam, præterea sub-
 sidium trium mensium, tanquam primum
 bellicum stipendium. Fœderati se nulla ra-
 tione miscebunt in Regni Galliæ constitutio-
 nem, neque faciendas nefors occupationes
 sibi reservabunt. Finito bello fiet universa-
 lis congressus, ut Europæ firma, & durabi-
 lis pax procuretur. Contra Gentes, Galliæ
 adhærentes, agent fœderati unitis viribus.
 Imperatori Germaniæ pro primo exercitu ad
 bellum promotum numerabitur unus millio libr.
 Sterl. si pacis conditiones, eodem tempore
 oblatae, optatum non sortirentur effectum.
 Austria, & Svecia nihil participabunt de
 emolumentis hujus fœderis, nisi intra 4 men-
 ses a die subscriptæ unionis suas legiones
 deduxerint in aciem — Acta Austriam con-
 cernentia, quæ coram Senatu regni producta
 sunt, consistunt in Nota Comitum Stadion
 data Petropoli 9. Augusti 1805 ad Lor-
 dium Gover, & hujus responso ad ean-
 dem Notam, in qua Austria petit pro anno
 1805. 3 milliones Libr. Sterl. pro anno au-
 tem 1806. 4 milliones, & quidem ita, ut ex
 prima summa dimidium statim deponatur pro
 primo educto milite. Lordius Gover repo-
 suit, se huic petito ex defectu potestatis non
 posse consentire, daturum tamen operam,
 ut conyenta subsidia menstrue a 1. Octob.

1805 prosolvantur, præter 5 mensium pecuniam in antecessum solvendam propter primum exercitum in campum deductum, cum Sua Majestas se obligaverit ad danda minimum 320 millia virorum. — Cum Svecia initi sunt tres contractus: Primus 3. Decembris 1804. Secundus 31. Augusti, & tertius 3. Octobris 1805. In primo promittit Magna Britannia se Sveciæ in tribus terminis numeraturam 60. millia libr. Sterl. ut Stralsundam muniat. In secundo menstruas 1800 libras pro singulis mille armatis. In tertio confirmatur conventio 31. Augusti facta. Hæc subsidia cessabunt post 5 menses a confecta pace &c.

BIOGRAPHIA.

Hymen, vel *Hymenæus*, Nuptiarum Deus, Quamobrem in omni celebrato matrimonio invocabatur, ejusque honoribus dicata carmina canebantur. Pingitur vultu, & habitu formosi juvenis, habens caput corona ex floribus contexta cinctum, & conjugalem tædam manu tenens.
